

8.14.6

*Idem A. Quinto.*

In summa debiti computabitur etiam id, quod propter possessiones pignori datas ad collationem viarum muniendarum vel quod aliud necessarium obsequium praestitisse creditorem constiterit.

*PP. III k. Aug. Antonino A. IIII et Balbino consss.*

[a. 213]

8.14.7

*Imp. Gordianus A. Marciano.*

Usucapio pignoris conventionem non extinguit.

*PP. non. Sept. Pio et Pontiano consss.*

[a. 238]

8.14.8

*Idem A. Festo.*

Quamvis personali actione expertus adversus reum vel fideiussores seu mandatores eius feceris condemnationem, pignoris tamen adhuc habes persecutionem.

*PP. id. Mart. Gordiano A. et Aviola consss.*

[a. 239]

8.14.9

*Idem A. Attico.*

Si dominium eius possessionis, quae cum pignori data esset, a debitrice donatu ad te translatum est, eamque postea creditor vel eius heredes detinere coeperunt, vindica eam, praeside provinciae curante, ut, fructuum deducta ratione residuoque a te oblato si fuerit satisfactum, ea possessio tibi reddatur.

*PP. III k. Oct. Gordiano A. et Aviola consss.*

[a. 239]

8.14.10

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. Alexandro.*

Debitores praesentes prius denuntiationibus conveniendi sunt, igitur si conventi debito satis non fecerint, consequenti tibi pignora seu hypothecas, quas instrumento specialiter comprehensas esse dicis, competentibus actionibus rector provinciae auctoritatis sua auxilium impertire non dubitat.

*D. XVIII k. Febr. ipsis IIII et III AA. consss.*

[a. 290]